Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1813
Quelle:
Copyright:

Fol. CCLX. *Jacobi* (de Salza) *Episcopi Wratislaviensis* Epistola ad *Bernardum Clesium* Card. *Tridentinum* et *Ferdinandi* Regis Cancellarium de Coenobio *Trebnitzensi* Virginum O. Cist. quod sub fide et clientela Regis *Bohemiae* est, et Duces *Münsterbergenses* sub ditionem suam trahere conantur. Dat. *ex Nysse in vigilia Purif. B. V. M.* 1539. Jam anno praeced. aliquot ejus pagi instigante Duce *Johanne* religionem mutarant.

Fol. CCLXII. *Thomae Dachperger* Oeconomi Episcopal. Epistola germ. ad *Job. Fabrum* de minutis rei familiaris negotiis. Dat. *Viennae 10. Jul.* 1538.

Fol. CCLXIV. *D. Johannis Pillhamer* Superintendentis Universitatis *Viennens.* Adnotata quaedam miscella, maxime circa causam supra *fol.* XXXI. recensitam.

Fol. CCLXVI. Instrumentum germ. quo *Job. Faber Johanni Gaudentio Anhauser* Theol. Professori et tunc temporis Academiae *Vien.* Rectori stipulatur 100. Rhenenses annuos, si pro se aut absente, aut infirmitate praepedito in Ecclesia *D. Stephani*, primariis diebus festis, et Dominicis praecipue Adventus et Quadragesimae ad populum verba fecerit. Dat. 3. *April.* 1538. Specimen geminum homileticum Viri hujus docti produxi in *Wiens Buchdruckergesch.* p. 382. et 383. *Reutlingensis* erat, eique a. 1542. ad plures abeunti parentavit *Seb. Solidus* in *Necrophilis. l. cit.* p. 658.

Fol. demum CCLXVIII. *Gregorii* (Angerer) Episcopi *Novae Civitatis* Epistola germ. ad *Job. Fabrum* Coadjutorem suum argumenti ad rem familiarem potissimum pertinentis. Sine die et consule.

Qui Codices hos a N. CCCCLII. cum plurimis typis excusis *Job. Fabri* lucubrationibus contulerit, facile perspiciet, quantis laboribus exercita fuerit praestantissimi Praesulis vita. Sed nondum finis.

CCCCLIX.

Codex chartaceus lat. germ. 108
Sec. XVI. et XVII. f. complectitur Farraginem *Scriptorum*, maxime *in caussa Religionis*, compilatam, ut videtur, potissimum ex scriniis *Johannis Fabri* Episc. Vienn. ✠ 1541. Insunt vero sequentia: I. *fol.* 1. Formula germ. ejurandi haeresin, Sacerdotibus curatis proposita, ut ad calcem legitur, sub *Ottone Henrico* Duce Palat. et Episcopo Augustano *(Christoph. a Stadion)* Incipit: *Ich NN. unwirdiger Priester vnd Pfharher zu N. beken albie offentlich Ihr allerliebste In Christo das ich auss anreitzung des Sathans* &c. Ante an. 1542. quo *Otto Henr.* ad *Lutherum* transiit.

II. *fol.* 2. Protestatio germ. Ministrorum Evangel. *Hassiae* ad *Philippum* Landgravium contra Edictum